

ratio petit) per unam differentiam uariata. Magna est huius tabulæ utilitas, per ipsam enim scimus motum Lunæ diuersum in una aut pluribus horis, quam Buth Lunæ appellamus. Per ipsam habito uero motu Lunæ ad meridiem, facile numeramus eius uerum motum ad tempus quodcunq; ante aut post meridianum. Item in calculo uerarum coniunctionum & oppositionum, quadraturarum Solis & Lunæ, & uniuersaliter omnium aspectuum Lunæ cum planetis, & præcipue in supputatione eclipsium solarium & Lunarium commodissima est.

Buth trium superiorum ac Veneris & Mercurij, hoc est motum diuersum æquatum planetæ in uno die, duobus uel pluribus per tabulas ad hoc ordinatas inuestigare.

Propositio XXVIII,

INtra primo tabulam diuersorum motuum planetæ in uno die, cuius motum diuersum queris, & hoc in linea numeri cum centro eius æquato ut assolet, & quod inueneris in eius directo, in linea quæ intitulatur, motus puncti, extra scribe. Intra bis etiam cum argumento æquato in eandem tabulam, & motum quem inueneris in communi angulo signorum & graduum ipsius argumenti, qui intitulatur motus portionis, accipe & scribe, & si super ipsum in tabula non inueneris scriptum retrogradus, tunc adiunges hunc motum cum priori, & aggregatum ex his duobus, est motus diuersus planetæ in uno die. Si autem super ipsum scribatur retrogradus, & motus portionis fuerit minor motu puncti, subtrahe minorem de maiori, & residuum est motus uerus planetæ in die, & planeta adhuc est directus. Et si motus portionis maior fuerit motu puncti, facta subtractione minoris à maiori, relinquetur motus diuersus in uno die pro retrogradatione, & est planeta retrogradus. Si uero ambo motus sic accepti, fuerint æquales, tunc planeta est stationarius, & cum sciueris motum planetæ in uno die, & fuerit idem planeta directus, & uolueris scire locum eius uerum post aliquot dies, æquatione eius præhabita, multiplica motum eius diuersum per numerum dierum quos habes, & collectum ex his, erit motus planetæ in diebus quæsitis. Aggrega ipsum super locum planetæ, & inuenies locum planetæ ad dies futuros quos quæris. Quod si planeta fuerit retrogradus, subtrahe hunc motum in diebus prædictis de loco planetæ æquato, & inuenies locum eius ad dies quæsitos futuros. Et si optaueris scire locum eius in diebus præteritis ante diem æquationis planetæ, Considera si planeta fuerit directus, & subtrahe hoc quod per multiplicationem antedictam collegisti de loco eius æquato, & inuenies quod quæris. Quod si retrogradus fuerit, adiuuge illud quod per multiplicationem exiuerat, ad locum planetæ æquatum, & habebis quæsitum: & ita poteris operare ad duos, quatuor, quinque, decem aut plures dies, & præcipue si fuerint directi & ueloces uel retrogradi, remoti tamen longe à statione prima, quia quando tardi fuerint in motu, uel prope eorum stationes, non facies ita ad plures dies, & hoc minus in Marte, qui plus diuersificatur in motu quàm Saturnus & Iupiter. Scias etiam quod motus puncti in istis tabulis est motus ecentrici, sed motus portionis, est motus epicicli.